Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8340
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



Cum natus esset ihs in bethleem iude in diebus
herodis regis: ecce magi ab oriente uenerunt iero-
lymam dicentes. Ubi est qui natus est rex iudeorum? Vidi-
mus enim stellam eius in oriente: et uenimus adorare eum.
Audiens autem herodes rex turbatus est: et omnis ciuitas
cum illo. Et congregans omnes principes sacerdotum et scribas
populi: sciscitabatur ab eis ubi christus nasceretur. At illi dixerunt
ei: in bethleem iude. Sic enim scriptum est per prophetam. Et tu
bethleem terra iuda: nequaquam minima es in principibus
iuda. Ex te enim exiet dux qui regat populum meum israhel.
Tunc herodes clam uocatis magis: diligenter didicit ab
eis tempus stellae quae apparuit eis. Et mittens illos in
bethleem dixit. Ite et interrogate diligenter de puero: et cum
inueneritis renuntiate mihi: ut et ego ueniens adorem eum.
Qui cum audissent regem: abierunt. Et ecce stella quam u-
derant in oriente: antecedebat eos: usque dum ueniens
staret super ubi erat puer. Videntes autem stellam gauisi
sunt gaudio magno ualde. Et intrantes domum: inuenerunt
puerum cum maria matre eius. Et procidentes adorauerunt eum.
Et apertis thesauris suis: obtulerunt ei munera: aurum: thus et
myrram. Et responso accepto in somnis ne redirent ad
herodem: per aliam uiam reuisi sunt in regionem suam. Dō. j. p'

Fratres: Obsecro uos per misericordiam dei ut exhibeatis corpora uestra hostiam uiuentem sanctam
deo placentem: rationabile obsequium uestrum. Et nolite con-
formari huic seculo: sed reformamini in nouitate sensus ue-
stri: ut probetis quae sit uoluntas dei bona et beneplacens et perfecta.
Dico enim per gratiam quae data est mihi omnibus qui sunt in
uobis: non plus sapere quam oportet sapere: sed sapere ad sobrietatem.

Epistola ad Rom.